



HENRICVS huius nominis secundus, Bauarus, dictus Claudus Othonis primi vel filius, vel ex filio nepos (nam id ambigitur) designatus est Imperator Romanus, anno à mūdo condito 4964. à Christo nato 1002. Romæ post aliquot annos coronatur. Principio Bohemos & Vandalos bello fatigatos tributarios ac subditos fecit: Metas & Gandauum obsedit: Lotaringiam ac Flandriam debellauit: post hæc accepta Romæ imperiali corona, in Capuam mouit: Saracenos ex Italia expulit. Constantinopolitani Imperatoris Ducem Bubaganum, Saracenis fauentem, bello insecutus est acerrimo. Troiam in Apuliæ finibus, vbi olim Annibalis castra fuere, à Græcis ædificatam obsedit, & per deditioem accepit. Hic Episcopatus Bambergensis fundator, Bambergæ sepultus est. Hungaros debellatos ad fidem Christianam pertraxit, data sorore Hungarorum Regi in matrimoniū. Cunradum Francum, hoc nomine secundum, Cæsarem creauit, addito legitimo Electorum suffragio. Hunc cum vxore CuneGVnda virginitatem perpetuam obseruasse sunt qui scribant, ac post mortem miraculis claruisse. Primus Electorum principum suffragiis Cæsar, iuxta Gregorij formulam designatur: imperátque annis 22. Vide Blon. lib. 3. deca. 2. Egna. lib. 3.

CVNEGVNDA Henrici secundi supradicti Imperatoris vxor fuit: quam castissimam fuisse, quinimo virginitatē perpetuam vnà cum viro obseruasse, memoriæ proditum est. Vide autores quos supra.